



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. An locus & vbi distinguantur inter se & à substantia corporis
naturalis alteriusve rei locatæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

præfens est, quæque verè ad eam præfentiam, & denominatiuè tantum ad ipsum Christi corpus terminetur.

29.

Ad secundam probationem oppositam respondeo; esto in conuersione Eucharistica sola accidentalis vnio, & præfentia corporis Christi per actionem adductiuam producat, & substantia ipsius corporis denuo improducta sit; hoc tamen non obstante eam conuersionem substantialem esse: quia licet actionem illam adductiuam præsupponat, in ea tamen non consistit, sed in ordine, & relatione successione, cuius fundamentum est substantia panis, & terminus ad quem substantia corporis Christi: ac proinde ea relatio, & conuersio in ea sita substantialis censenda est. Cum autem vnus corpus alteri in eodem loco per actionem adductiuam succedit, nulla ibi conuersio substantialis est: non quia actio eam successione fundans merè adductiuam, & accidentalis est, sed quia absolute nulla ibi conuersio est, eo quod nihil intrinsecum, & reale vtrique corpori commune sit, aut ab vno ad aliud transeat: conuersio autem substantialis conuersionem absolutam includit, & sine ea stare non potest. Quod si conuer-

sio Eucharistica in actione adductiuam formaliter consisteret, vt complures asserunt, non conspicio sanè, qua ratione ea conuersio substantialis defendi posset. Ad secundum, & tertium argumentum pro eiusdem sententiæ posteriori parte supra cap. 2. & 3. factum est satis. Ad quartum etiam respondeo; formam alimenti in animam rationalem per successionem, & ordinem conuerti, vt cap. 3. ad finem probatum manet.

Argumenta pro secunda maiori ex parte efficacia sunt: illudque, ni fallor, manifestè conuincunt, conuersionem aliquam sine desitione termini à quo, aut productione termini ad quem stare posse: quæ altera nostræ sententiæ pars est. Cæterum non conuincunt, nec possunt, conuersionem in alio sensu usurpari posse, in quo sine desitione vnus termini, & productione alterius nunquam stare queat: quæ nostræ sententiæ posterior pars est. Et quidem, quoties conuersio in hoc secundo sensu usurpatur, in eo nec panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, nec vlla forma in aliam formam, vllumve subiectum in aliud conuerti possunt, vt supra fusè exposuimus.

30.

LIBER SEPTIMVS

DE

Loco, tempore & infinitate corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De Loco corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An Locus, & Vbi distinguantur inter se, & à substantia corporis naturalis, alteriusve rei locata?

I.

QUANTVM mea opinio est, Vbi prædicamentale nihil aliud est, quàm locus cuiusque rei, & è conuerso. Verùm quia neoterici contra communem veterum Philosophorum sententiam tumentur, vbi non esse locum, sed potius entitatem quandam à loco, & re locata distinctam, aut certè in vtriusque complexo sitam: ideo propositam sententiam hunc in modum probo, & confirmo: rem esse alicubi est aliquem locum habere, & eam esse vbicunque est omnem, & quemcunque locum habere: locus ergo, & vbi coincidunt, si communis omnium loquendi, & sentiendi modus spectetur. Deinde, sicut interroganti qualis sit res, responderi solet eam talem esse, v.g. albam, aut nigram: ita interroganti, vbi sit res, responderi solet, eam esse hîc, siue hunc locum habere: at qualitas, & talitas rei, siue forma denominans rem qualem, & forma denomi-

nans talem est omnino eadem: ergo etiam vbi, & locus, siue forma denominans rem vbilibet se habentem, ac forma denominans rem locatam est omnino eadem. Rursus: illud, quo res corporea versus longum, latum, & profundum extenditur, est vbi partium illius, quo nimirum aliæ extra alias sunt: at extensio rei corporeæ quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem, est eius spatium, siue locus: igitur etiam vbi rei eius spatium, seu locus est. Maior indubitata est: minor etià non videtur posse negari, ad eaque respexit ille Met. 3.

Dum spatium victor victi considerat hostis.

Vbi Cadmus extensionem, & magnitudinem serpentis à se interfecti considerans, eius spatium considerare, & admirari dicitur.

Præterea spatium loci est id, quod per motum localem conficitur: at solum vbi rei intrinsecum per motum localem conficitur, ac denuo producit: spatium ergo rei eius vbi est. Minor perspicua est, & statim inferius ostenderetur: maior etiam vsque adeo nota est, vt nihil communius apud omnes dici solet, quàm spatium tot leucarum v.g. tanto, vel tanto tempore confici, aut peragi posse: spatium ergo loci efficitur, atque producit. Tandem locus vt formaliter, ac

2.

ac ratione nostra locus est, ad nullum aliud prædicamentum, nisi ad ubi attingere potest: nec enim locus est substantia, cum hæc prius ratione existat, quam locata intelligatur: nec quantitas, cum locus præsertim Angeli, aut puncti sine duratione partium concipi possit, sine qua tamen quantitas intelligibilis est: quod autem locus non sit relatio, actio, aut passio quis non videat? Locum etiam à duratione, siue tempore rei distingui manifestum est: deinde locum non esse situm rei, vel ex eo constat, quod cathedra v.g. inuariato partium suarum situ locum tamen variare, & modo hic, modo alibi esse possit: denique locum non esse habitum, aut indumentum adeo exploratum est, ut in dubium reuocari nequeat.

3. Porro, an ubi, siue locus aliquis rei admittendus sit, qui accidens quoddam intrinsecum sit, & à substantia rei locatæ realiter distinguatur, haud parum inter Philosophos controuertitur: ipse partem affirmatiuam questionis nunc magis communem ut magis veram sequor, eamque hac ratione suadeo: fundamentum ad hoc, ut vere affirmetur, Petrum esse hic, & non alibi, est aliqua entitas à parte rei, alias eiusmodi affirmatio falsa, & absque fundamento ex parte obiecti esset: at eiusmodi fundamentum nec est sola substantia Petri, neque aliquid ei extrinsecum: ergo est aliqua entitas Petro intrinseca, ab eiusque substantia realiter distincta, ac proinde accidens intrinsecum illius. Maior argumenti conspicua est: minor probatur: quod enim substantia Petri sola, & per se ipsam non sit hic potius, quam alibi, sufficiensque fundamentum non exhibeat, ut id de ea affirmetur, inde constat: quia substantia Petri potest existere, quin sit hic potius, quam alibi: quod verò aliquid extrinsecum Petro non constituit necessarium eum hic potius, quam alibi, suaderetur: quia destructa quavis re extrinseca Petro, adhuc Petrus à Deo conseruari posset: tunc autem alicubi esset: non enim nusquam esset: tum quia iuxta plures aduersarios diuinitus etiam impossibile est, rem existentem nusquam existere: tum etiam, quia in eo euentu locum saltem imaginarium, quem antea tenebat, retinere potest; atque adeo non nusquam, sed alicubi esset: ergo iam hic, & non alibi esset, cum tamen nulla res ei extrinseca existeret, cui hanc denominationem acceptam referret.

4. Argumentor secundo: si Deus Petrum, & Paulum reliquis omnibus creatoris destructis conseruaret, alter ab altero distare posset: si enim ante destructionem cæterarum substantiarum vnus Romæ, & alter Methymnæ existeret, certè non ex eo, quod creaturæ destruantur, hoc ipso moueri, & sibi inuicem appropinquare debent; quin potius deficiente medio, per quod motus exerceri possit, immoti necessario permanebunt, tam ergo distantes, ac antea erunt: huiusmodi autem distantia habet aliquod fundamentum verum, & reale; alias non nisi falsò, ac fictitiè aliter distare dicerentur. At hoc fundamentum non est vtriusque substantia; siquidem amborum substantiæ non solum sine distantia, verum etiam quod plus est, inuicem penetratè reperiuntur. Rursus, tale fundamentum non est spatium imaginarium Romanum, ac Methymnense, quod

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

utrumque occupat: tum quia spatium imaginarium non est aliquid verum, & reale: tum etiam, quia vtriusque spatium imaginarium dari potest quodam modo, quin tamen Petrus, & Paulus illud occupent, aut merito illius inuicem distent, videlicet si in aliis spatiis imaginariis existant. Tandem aliqua res extrinseca Petro, & Paulo relationem illam indistantiæ inter vtrumque fundare nequit, cum nihil extrinsecum vtrique tunc existat: reliquum igitur est, ut fundamentum huius relationis sit accidens aliquod intrinsecum Petro, & aliud intrinsecum Paulo: hoc igitur, quod est, Petrum existere in spatio imaginario: ac distare à Paulo non est spatium; ac per consequens est aliquod accidens ab utroque distinctum.

Argumentor tertio: motus localis est vera, & realis actio, ac proinde aliquem terminum verum, & realem habet: at non aliud præter ubi substantiæ rei intrinsecum, eique accidentario superadditum: igitur eiusmodi ubi denegandum non est. Respondent aliqui cum Ægidio de Sacrament. questione 6. art. 4. dubio 1. terminum motus localis esse coniunctionem rei locatæ cum loco, siue præsentiam vtriusque. Contra tamen: quia vel ea coniunctio est entitas aliqua media inter locum, & rem locatam, & vtrinque distincta; atque ita intentum adeptus sum: vel ea coniunctio, ac præsentia est aggregatum, seu complexum loci, & rei locatæ, atque ita motus localis eam coniunctionem produciens tale complexum realiter produciat: consequens autem est manifestè falsum: tum quia res locata per motum se ipsam realiter non produciat: at ipsa in eo complexo includitur: tum etiam, quia locus, quæ eius complexi altera pars est, si fictus, & imaginarius sit, realiter improducibilis est; si verò realis sit, nempe superficies corporis ambientis per motum etiam produci nequit, cum hic, & nunc ante motum localem existens præsupponatur.

Respondent alij, terminum motus localis esse aliquid reale, non tamen ubi: nimirum quia ille terminus transacto motu statim euangelicit, cum tamen eo transacto ubi perseveret. Hæc tamen responsio inutilis, ac ridicula est: nisi enim eiusmodi terminus ubi sit, quid tandem esse potest? nec enim substantia est; alias quoties digritum mouerem, aut oculos circumferrem, aut aërem inspirarem, aut respirarem, toties aliquam substantiam in rebus ponerem: nec etiam quantitas, cum hæc permanens sit, & non more illius termini euangelica: nec etiam qualitas, alias motus localis esset alteratio, contra quam omnes censent: deinde relatio esse nequit, nam si foret relatio maximè rei locatæ ad locum, siue vbicatio, quod tamen hi Authores inficiantur: actio etiam, aut passio esse nequit, cum potius actionis, passionisque terminus: duratio quoque rei motæ esse nequit, cum res localiter immota duret: situs etiam permanens rei, aut habitus non est: talis igitur terminus nihil nisi chimæra est. Adde, quod aduersarij explicare nequeunt, cui vsui deseruire possit eiusmodi terminus, quodve munus in rerum natura obeat, nisi velint, eius munus esse terminare lationem, quo nihil absurdius est, cum non ideo aliquid in rebus existat, ut terminet actionem, sed potius ideo datur actio, ut terminus aliquis per eam productus in

Aa 3 rerum

rerum natura existat : illud etiā inintelligibile est , cur eiusmodi terminus statim euanescat. Quare alij tertio respondent, motum localem esse actionem sine termino. Verum manifeste falluntur : manifestum enim est, per motum localem rem locari de nouo, cum hac de causa motus localis appelletur : at rem locari distinguitur à motu locali, siquidem hoc transacto illud permanet : ergo motus localis terminum à se distinctum habet , quicunque , aut qualiscunque demum ille terminus sit.

7.

Hinc emergit alia difficultas ; an vbi , siue locus intrinsecus rei sit accidens absolutum, an verò modus eius entitatis , quam afficit ? Mihi longè probabilius videtur, vbi esse accidens absolutum, & non modale, quia absque necessitate nulla forma cum subiecto suo essentialiter connexa, ac per se ipsam ei vnita statuenda est : aliās omnes qualitates, omniāque accidentia modi essent, si sola accidentia Eucharistica excipias , & ne gratia esset qualitas absoluta animæ, nec etiā candor qualitas absoluta quantitatis , si hæc à materia distinguitur : at nulla est necessitas adstruendi essentialē connexionem loci, siue vbi realis cum re locata. Quod enim res sit indifferens, vt sit hic locata, vel non locata parum interest : siquidem sum etiā indifferens, vt sim albus, aut non albus, quin tamen albedo hanc indifferentiam determinans mecum essentialiter connexa sit. Rursus quod vbi sit relatio realis rei locatæ ad spatium imaginarium, & falsum est : quia absque spatio imaginario, omniūque intellectus nostri figmento re ipsa reperiri potest, & quamuis id verum esset, parum aduersariis prodesset, siquidem cognitio est relatio realis ad obiectum, quin tamen intellectui essentialiter adhæreat.

8.

Quamuis autem vbi intrinsecum rei sit accidens eius absolutum, tamen vbi cationem rei modum esse verissimilius est : sicut enim se habet calefactio, & calor, ita vbi catio, & vbi ; & quemadmodum calefactio est actio, qua ignis calorem producit, eūque sibi adiungit , ita vbi catio est coniunctio, siue vnio rei cum suo vbi , siue loco : vnio verò indubitanter modus est. Quod si quis vbi cationem, & vbi diiungere, ac separare nolit, & de nominum significatione litem nobis intendat, non grauabor ei concedere, vbi cationem eo modo sumptam rem absolutam esse, parūque refert vtrouis modo in præsentī loquamur.

9.

Verum tria hæc statuta tribus potissimum argumentis oppugnari possunt : quorum primum esto. Locus attinet ad prædicamentum quantitatis, ergo non ad prædicamentum vbi. Antecedens est Augustini in Cathegoriis ibi : *ipsius autem quanti aliud est coherens, aliud separatum : coherens est græce ephphania, corpus, locus, & tempus* : quibus verbis similia habet Aristoteles, & passim eius interpretes. Respondeo Augustinum , & Aristotelem id tantum contendere , locum prout constantem partibus extensis quantitatem esse : cum hoc tamen optimè coheret, locum pertinere ad prædicamentum vbi, si consideretur prout immobilis est, & prout rem hic, & non alibi immobiliter constituit.

16.

Secundum argumentum sit : res est in loco , è contra verò locus non est in re locata : locus etiā ex communi Philosophorum sententia cum Aristotele 4. Physicor. text. 40. rem locatam conseruat , & non è contra : at hæc ita se habere non

possent, si locus, siue vbi esset accidens quoddam à re locata productum , & in ea receptum. Respondeo : res locata est in accidenti illo intrinseco, non tanquam in loco, sed tanquam in subiecto : quare locus, & res locata in se inuicem diuerso tamen modo sunt , sic creator est in creatura , tanquam in imagine, creatura verò est in creatore velut in causa : sic etiam totum est in quauis sua parte velut in causa, & quauis pars totius in ipso velut in continente reperitur. Cum autem dicitur locus conseruare rem locatam, id intelligendum est de loco non intrinseco, sed extrinseco, & ambiente, per quem influxus corporum cælestium in rem locatam traiciuntur. Tertium argumentum sit : quia si vbi per se ipsum rei vbi catio non vniatur, vnio Petri verbi gratia cum suo vbi erit, & non erit ipsius vbi : non erit, vt supponimus, erit, quia determinat essentialiter Petrum, vt hic, & non alibi sit : cum accidens illud absolutum id munus determinandi non postulet, & abique eo diuinitus reperiri possit. Respondeo ; vnionem Petri cum suo vbi non determinare Petrum, vt sic, & non alibi, velut formam, ac rationem primariam, sed præcisè velut causalitatem formæ, ac rationem secundariam ; vnde non esse vbi , siue locum Petri : qua ratione vnio parietis cum albedine non est albedo, quamuis vnio illa determinet essentialiter parietem, vt albus sit : haud enim talis determinatio ipsi albedini essentialis est. Adice, quod, si distinguuntur vbi & vbi catio, huius, & non illius proprium sit determinare rem al hoc vt sit hic & non alibi : determinare inquam instar etiam formæ.

CAPVT II.

Quotuplex sit locus corporis naturalis , & cuius alterius rei ?

Locus variè diuidi solet : in primis enim locus, alius est realis, alius imaginarius : locus realis est, qui entitatem aliquam realem habet, aut rei locatæ velut subiecto inharerentem, aut ei extrinse circumfusam : spatium verò imaginarium est, quod esse reale nec habet, nec habere potest, perinde enim à nobis concipitur, ac si reuera esset : huiusmodi est interuallum illud, in quo mundum hunc conditum esse, & ab æterno ad eum præsuppositum imaginatur. Propterea autem vbi intrinsecum, & reale non sine respectu ad spatium imaginarium concipimus vt ita extensionem vbitatum realem, earūque situm, posituram, distantiam, atque indistantiam melius explicemus. Nam quo maius, aut minus est spatium imaginarium alicuius vbi realis, eo ipso maius, aut contractius esse ipsum vbi ; & quo etiam magis, vel minus distat vnum spatium imaginarium ab alio, eo magis, vel minus distans esse vnum vbi ab alio communiter iudicare solemus. Hinc constat, nec Deum, nec creaturam propriè, ac strictè in spatiis imaginariis esse : aliquid enim reale in nihilo, siue chimæra strictè esse nequit : impropiè tamen ac translatitè tam Deus, quam creatura spatiis imaginariis ad sunt : vnde rei cendi sunt Authores, qui in præsentī materia aliter philosophantur.

At alij non pauci cum Albertino in Corollaris suis disp. vnica de prædicamento vbi docent, spatium

11.

12.